



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regula Sancti Patris Benedicti

Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>

Moguntiae, 1604

V. De Obedientia discipulorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](http://urn.nbn.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-64533)

- 68 Seniores venerari.
 69 Iuniores diligere.
 70 In Christi amore pro inimicis orare.
 71 Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire.
 72 Et de Dei misericordia nunquam despare.

Levit. 19.
1. Timot. 5.
Matt. 5.
Ephes. 4.

Ezech. 18.

Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis: quæ cùm fuerint à nobis die noctuque incessabili et adimpleta, & in die iudicij reconsignata, illa merces nobis à Domino recompensabitur, quam ipse promisit: quod oculus nō vidit, nec auris audiuist, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui dligunt eum. Officina verò, ubi hæc omnia diligenter operemur, claustra sunt monasterij & stabilitas in congregatione.

Esa. 45.

1. Corint. 1.

De obedientia. CAP. V.

Primus humilitatis gradus, est obedientia sine mora. Hæc conuenit his, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant: propter seruitium sanctum, quod prof. siunt, seu propter metū gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ, mox ut aliquid imperium à maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur moram pati nesciunt in faciendo. De quibus Dominus dixit: Obauditu auris obedivit mihi. Et iterū dicit Doctoribus: Qui vos audit, me audit. Ergo hi tales, relinquentes statim quæ sua sunt, & voluntatem propriam deferentes mox exoccupatis manibus & quod agebant,

Psalm. 17.

Matt. 10.

imperfectum relinquētes, vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur : & veluti uno momento prædicta magistri iusficio & perfecta discipuli opera, in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citius explicantur : quibus ad vitam æternam gradiēdi amor incumbit. Ideò angustam viam arripiant, vnde Dominus ait, Angusta via est, quæ dicit ad vitam : ut non suo arbitrio viuentes, vel desideriis suis & voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno iudicio & imperio in cœnobii degentes, Abbatem sibi præesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam, qua dicit : Non veni facere volūtatem meam, sed eius qui misit me. Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus : si, quod iubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure, vel cum responsione nolentis efficiatur : Quia obedientia quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur. Ipse enim dicit : Qui vos audit, me audit. Et cum bono animo à discipulis præberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus. Nam cum malo animo si obedit discipulus, & non solùm ore, verùm etiam in corde si murmurauerit, et si impleat iussionem, tamen acceptum iam nō erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, immò pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.

Matth. 7.

Ioan. 5.

Matth. 10.

2. Cor. 9.

Eccles. 35.

De